cram. Item quia ibidem dicitur quod qui in vita sua scit multitudinem indigentium et maxime amicorum Dei, et congregat et retinet superflua ad stabiliendum capellanias et perpetuandum missas post mortem, certum est quod cadit in aeternam damnationem, reputamus falsum et temerarium, nisi essent indigentes extrema necessitate. Item quia ibidem dicit quod in sacrificio altaris sacerdos offerens, vel faciens offerri, nihil Deo de suo offert, nec etiam voluntatem, quod nos falsum et temerarium reputamus. Item quia ibidem dicitur quod in helemosina magis representatur Passio Christi quam in sacrificio altaris: quod falsum et erroneum reputamus, quia sacrificium altaris magis est memorativum Dominicae Passionis, et ex institutione, unde dixit Christus: *Haec quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Et Apostolus: *Quotiescumque hunc panem et mortem Domini annuntiabitis.* Item quia ibidem dicitur quod in sacrificio missae non laudatur Deus opere, sed solum ore, quod falsum et erroneum judicamus. Item quod dicit *in informatione Beguinorum*, et in constitutionibus papalibus non est scientia, nisi operum humanorum, reputamus temerarium et manifestum mendacium et propinquum errori, cum ibi sint multa de articulis fidei et sacramentis Ecclesiae.

»Item damnamus libellum, qui incipit: *Per ço cars molts desigen saber oyr ço que yo vag denunciam.* Ibi enim dicit quod nunquam Deus comminatus est aeternam damnationem peccantibus, sed malum exemplum praebentibus, quod erroneum judicamus, sicut patet ex multis locis Scripturae Sacrae Mathei XXV: *Ibunt hi in supplicium aeternum;* et in Ezechiele: *Anima quae peccaverit ipsa morietur.*

»Item damnamus libellum, qui intitulatur *Alia informatio Beguinorum*, et incipit: *Als cultivadors de la evangelical pobrea.* Ubi damnat omnes scientias praeter theologiam.

»Item damnamus libellos, qui incipiunt: *Davan vos senyor en Jacme per la gracia de Deu Rey Daragó propós yo Mestre A.* Item qui incipit: *Cant fui Avynó.* Item qui incipit: *Entés per vostres paraules.* Item qui intitulatur: *Responsio contra Bn. Sicardi.* In omnibus enim istis de propinquo adventu Antichristi, et determinato tempore finis mundi temerarie et erronee locutus est contra Scripturam Sacram et doctores ejus sive expositores, et in quibusdam quae in his libellis dixit, jam apparuit falsus denunciator.

»Nos igitur Gaufridus de Crudiliis, gerentes vices Terraconae Archiepiscopi Sede vacante, tam in spiritualibus quam temporalibus, et frater Johannes de Longerio, Inquisitor haereticae pravitatis in regnis et dominio Dom. Jacobi, illustris Regis Aragonum, nolentes a praedictorum sapientum consiliis declinare, immo adhaerere eis potius, ut tenemur mori zelo fidei et justitiae, dissimulare contumeliam fidei non valentes, Deum habentes prae oculis, sacrosanctis Evangeliis coram nobis propositis, in nomine Patris et Filii et Spiritu Sancti Amen, sententialiter condemnamus omnes praenominatos libellos, et si qui fuerint in quibus similia contineantur qui nobis nondum fuerint praesentati: et etiam omnes illos qui praedicta dogmatizaverint, docuerint vel legerint, coram aliis, publice vel occulte. Unde volumus et monemus, ut si qui tales libellos habuerint, qui per Magistrum Arnaldum sunt editi, a publicatione sententiae infra decem dies nobis debeant praesentare. Si enim in civitate Terraconae infra decem dies a publicatione sententiae, vel in aliis locis Terraconae provintiae ex quo in dictis locis dicta sententia fuerit publicata, infra decem dies per illas personas quibus nos hoc duximus committendum, non dederint dictos libros, nos praedicti Gaufridus de Crudiliis, Praepositus Terraconae, et frater Joannes de Longerio ambo simul, et quilibet per se in Terraconensi diocesi, et ego frater Johannes de Longerio per totam Terraconae provintiam contra tales propter eorum contumaciam et proterviam, praefata monitione praemissa, sentenciam excomunicationis proferimus in his scriptis. Si qui autem ex contumacia vel contemptu in tali excomunicatione per annum integrum perstiterint, poterit contra tales tanquam contra hereticos procedi, secundum legitimas sanctiones. Lata haec sententia in Capitulo Sedis Terraconae, die Lunae, hora tertiae quae fuit sexto Idus Novembris, anno Dom. millesimo trecentesimo sextodecimo, praesentibus venerabilibus Bernardo de Plicamanibus, canonico Ilerd. Raymundo Guillermi de Lordato, canonico Fuxen. Romeo Galvayn, canonico Terraconae, Guillermo de Solario, infirmario Terraconae, fratre Petro Marsili, fratre Bartholomeo de Podio viridi et fratre Berengario Gizberti, de ordine praedicatorum, et fratre Petro de Cervaria, et fratre Petro Ferrari, de ordine Minorum, Jacobo Tamarito, praeposito, Raymundo Michaelis rectore Ecclesiae Constantini, Dominico de Rocafort, Guillermo Darocha, Guillermo de Celma, civibus Terraconae, et maxima multitudine tam clericorum quam laicorum.

»Signum mei Arnaldi Sormat, notarii publici Terraconae pro Arnaldo de Martorello, notario publico ejusdem, qui praedictis interfui et haec clausi.

»Ego Arnaldus Cervera hoc scripsi mandato Arnaldi de Martorello Terraconae notarii cum supra posito in linea,» etc. [1].

XV.—Órden de D. Jáime II para que se abonaran ciertos dineros á un hijo de Arnaldo

«Jacobus Dei gratia Rex Aragonum etc. Dilecto notario nostro Bernardo de Aversone salutem et dilectionem. Mandamus vobis quatenus faciatis fieri litteram, quae dirigatur fideli thesaurario nostro Petro Marti, quod de pecunia curiae nostrae quae est vel erit penes eum, tribuat et solvat Arnaldo de Villanova de domo nostra quinque mille solidos barchinonenses, quos pro emendo hereditamento sibi gratiose duximus concedendos, quam litteram absque jure sigilli tradatis eidem. Data in Silxes sub sigillo nostro secreto III.° Nonas Maii anno Domini 1320.»

1 Este documento tiene algunas enmiendas.

CAPÍTULO IV

I.—Noticias del hereje Tomás Scoto [1]

Fól. 14.—«Alius error et haeresis invaluit *in aliqua parte Portugaliae*, cujus erroris discipuli dicunt quod bona quae defuncti dimittunt distribuenda post mortem suam, non prosunt eis.....»

Fól. 33 vuelto.—«Sunt alii pseudo christiani in praecedentibus haereticis [2] mixti, qui observant auguria, stornutta, somnia, menses et dies, annos et horas, et utruntur experimentis et sortilegiis et arte nigromantica et arte magica, et hi filii diaboli sunt et sanctae fidei corruptores, et hi diversis nominibus nuncupantur, nam quidam eorum *miratores* dicuntur qui arte demonii verbis pangunt, et *comendatores:* sic dicunt Hispaniae.

»Haec sunt haereses et errores de quibus Thomas Scotus apostata fratrum minorum et praedicatorum est publice diffamatus, in quibusdam partibus *Hispaniae* et alibi et de quibusdam confessus in jure et de quibusdam convictus, qui Ulixbone in carcere detinetur. Dixit quod millia annorum quo vivebant antiqui tempore..... de quo fit mentio in multis locis in Genesi, non erat verum.....

»Asseruit etiam dictus Scotus et confessus fuit in judicio quod prophetia illa Isai. VII. *Ecce virgo concipiet*, non intelligebatur de Beata Maria, quod et judaei dicunt.... [3]. Dixit Thomas haereticus quod illud *ecce virgo*.... dixit Isaias de quadam sua ancilla vel concubina.

»Disseminavit etiam iste impius Thomas haereticus in Hispania quod tres deceptores fuerint in mundo, scil. Moises qui decepit Judaeos, et Christus qui decepit christianos, et Maomethus qui decipit Saracenos.

»Item iste impius Thomas dogmatizavit Ulixbone, loquens de Antichristo quod oportebat quod in quolibet tempore veniret unus homo qui mundum deciperet.

»Item dixit Thomas seductor publice in scholis decretalium Ulixbone, quod illud Isaiae *Deus fortis, pater futuri saeculi*, quod illud *Deus fortis* erat proprium nomen et quod non erat dictum propter dominum nostrum Jesum Christum.

»Rursus asseruit Thomas animas post mortem in nihilum redigi..... Resurrectionem negabat.

»Item coram me et multis aliis asseruit dictus Scotus Ulixbone quod Christus erat Dei filius adoptativus, non proprius vel naturalis.

»Item dixit iste inmundus Thomas haereticus quod Sta. Maria fuit *virgo* usque quo fuit corrupta, et sic negat virginis Mariae virginitatem.

1 Extractos de Álvaro Pelagio, *Collyrium contra haereses*, Biblioteca de San Márcos de Venecia, códice latino III.VI.

2 Los que se dan á artes divinatorias.

3 Explicaba la palabra *virgo* en el sentido de *puella* ó *adolescentula*.

»Item dixit coram me et multis scholaribus in scholis decretalium, quod fides melius probatur per philosophiam quam per decretum et decretales et testamentum vetus et novum, quod est haereticum dictum..... Et etiam dixit dictus haereticus qui in sua philosophia inani gloriatur, quod mundus melius regeretur per philosophiam quam per decreta et decretales.

»Item dictus Thomas dixit quod Sanctus Augustinus et Sanctus Bernardus fuerunt traditores quod nihil valebant quidquid fecerunt vel scripserunt. Et quod Beatus Antonius de ordine fratrum minorum, qui fuit canonizatus ab Ecclesia, tenuit concubinas, propter quod mandaverat eum prior incarcerari. Et ita blasphemavit contra Sanctos Doctores..... Et etiam dixit Thomas inmundus quod Beatus Bernardus tenuerat concubinas, et quod fratres sui poterant eas tenere.

»Item tenuit in scholis dictus Thomas haereticus, me presente, quod virtus patris..... descendit ad filium.

»Item tenuit in scholis dictus Thomas coram me disputante contra eum de suis haeresibus; quod Christus non dederat Beato Petro et successoribus suis et episcopis potestatem quam habebat in terra..... In qua haeresi faventes habuit in scholis aliquos pseudo religiosos de ordinibus mendicantium.....

»Item dixit dictus Thomas haereticus quod ante Adam fuerunt homines et per illos homines fuit factus Adam, et sic infert quod semper fuit mundus, et in eo homines semper fuerunt.... [1].

»Item dixit publice Ulixbone in ecclesia Sanctorum quod potestas quam Christus dederat Beato Petro et apostolis; non dederat successoribus eorum..... Etiam *de sacramentis* male sentit.

»Item dixit Thomas haereticus quod mundus non debebat habere finem.... Et sic negat futurum judicium et resurrectionem et vitam venturi saeculi.

»Item blasphemavit iste Thomas haereticus dicens quod melior erat Aristoteles quam Christus, qui fuit homo malus et suspensus per suis peccatis et qui parabat se cum mulierculis loquentibus.

»Item dixit dictus Thomas haereticus quod Aristoteles fuerat sapientior, subtilior et altiora..... locutus quam Moyses.

»Cum infirmaretur iste Scotus haereticus et diceretur sibi quod confiteretur et communicaretur: respondit quod oportebat timere..... de his quae dicebant de corpore Christi, et de absolutione per claves. Quidam et intelligunt quod ipse non credebat sed timore fingebat se credere, nec mirum..... Item blasphemavit de corpore Christi.

»Blasphemavit etiam iste Thomas haereticus contra Christum dicens, quod non virtute divina sed per artem magicam et virtutem naturae miracula faciebat. Sed iste sicut in multis aliis suis haeresibus supradictis cum judaeis judaizat, nam cum eis nocte et die conversat..... Cum iste Scotus sit magus et nigromanticus, et falsas transmutationes confixit.....

»Negat etiam iste Thomas haeresiarca esse angelos et demones, cum judaeis qui ponunt non esse angelos, nec malos corruisse angelos..... Quomodo etiam iste negat demones esse, cum sua meretrix Gaibina cum aliquiis familiaribus suis testimonium perhibent contra eum, quod qualibet nocte

1 Se deduce que Scoto era aristotélico, probablemente *averroista*, y admitia la eternidad del mundo.

extincta candela, et arrepto gladio, etiam frequenti strepitu demones invocando et sentiendo, clauso ostio, meretrice expulsa..... qui mortuus cadebat et jacebat in terra, quousque meretrix aperto hostio intrabat et eum de terra levabat et in lectulo reponebat et se ei miscebat.....»

«Alia novella haeresis pullulavit Ulixbone in Scholis, per quosdam pseudo religiosos publice defendentes contra me, quod sacri canones et sacra concilia et sacrae decretales et aliae constitutiones romanorum pontificum a Sancta Romana Ecclesia approbatae non habent tantam auctoritatem quantam habent Scripturae Veteris et Novi Testamenti» [1].

CAPÍTULO V

I.—Procedimiento contra Eymerich (inédito) [2]

«La deliberacio e acord que per los honrats Consellers fou haut ab promens sobre lo fet de Mestre Eymerich Inquisidor.

»Com en Consell de Cent Jurats celebrat divendres prop passat a VII dies del mes present de Juliol fos esposat per los honrats Consellers entre les altres coses que com los dits Consellers haguessen reebuda una letra dels Jurats de Valencia continent en acabament que com ells per foragitar alguns procehiments los quals inigament e injusta ha començats e de fet continue Mestre Nicolau Eymerich Inquisidor dels heretges en la provincia Darago contra alguns singulars de la dita ciutat de Valencia no contrestant legitimes rahons de suspicio e altres contra ell per la dita ciutat proposades e provades donaven lordinari de la dita ciutat trametessen a Mossen Senyor lo pape de licencia e benivolencia del Senyor Rey lonrat e religios mestre Jacme de xiva doctor en Sancta Theologia sobre aquestes coses plenament informat. E haguessen entes que aquesta ciutat per semblants procehiments o altres era mal contenta del dit mestre Nicolau pregaven los dits Consellers que si semblanment los hi plahia provehir que volguessen comunicar lurs affers ab lo dit mestre Jacme e el ab los consellers o ab aquell que hi ordonarien pregants encara los dits Consellers que sobre aquestos affers lus plagues dar creença al dit mestre Jacme segons los esplicaria de par lur. E com lo dit Mestre Jacme en virtut de la dita creença hagues esplicat als dits Consellers que la dita ciutat de Valencia entenia escusar aquest fet devant nostre senyor lo papa altament e be e supplicarli de cer sa merçe de fer enquirir contra lo dit Mestre Nicolau de diverses e enormes crims per ell comeses en son offici

1 Para esto se fundaban en que las constituciones disciplinares de la Iglesia son mudables.

2 Archivo municipal de Barcelona, legajo de los años 1390 á 92, que comprende actas del 1390 y 91, fólios 34 y 35.—*Procedimiento contra los excesos del inquisidor Eymerich en Valencia é Inquisicion de las obras de Raymundo Lulio.*—Es posterior su fecha al 8 de Julio de 1391.

e en altre manera e de remourel de dit seu offici que plagues semblantment a la dita ciutat de supplicar al dit Senyor papa per ço que los affers de cascuns fossen complits e pus perfetament espatxats. E lo dit Consell de C. jurats haut plen acord sobre les dites coses delibera e volch que tot lo present negoci en tot ço que fos espatxador sobre aquell fos comanat e comana de fer als dits Consellers que ab Consell de prohomens faessen e procehissen en les dites coses segons quels paregues faedor.

»Per que dissapte pus prop seguent a VIII dies del dit present mes de Juliol hora de terça los dits honrats Consellers ab los promens per ells sobre aço appellats acordaren e deliberaren que en lo dit fet fos procehit per la dita ciutat de Barcelona en la forma seguent es assaber que si per part de la dita ciutat de Valencia se fa escusacio general que en aquest cas la ciutat de Barcelona faça un braç e un cor ab la dita ciutat de Valencia e en que en lo dit cas sia supplicat a nostre senyor lo papa que sia enquerit contre lo dit mestre Nicolau dels excesses e enormes crims ques diu ceren per ell perpetrats. No res menys sia remogut o sospes en trectar durant la Inquisicio del dit offici. E si per ventura la dita excusacio se fara en particular ço es de alguns singulars de la ciutat de Valencie que aquest cas no sia feta part ne instancia en aço per part de la dita ciutat.

»Quant es en la obra den R. lull deliberaren que en cascun dels dits cases sia supplicat que sia sa merce de comanar a algun prelat de aquesta provincia que ell ab alscuns solenes Mestres en Theologia e doctors reçonega e declar per auctoritat e poder papal si la dita obra o los articles per lo dit Mestre Nicolau imputats son estats condepnats justament o injusta.»

II.—Carta inédita de Juan Arce de Herrera al Cardenal Borromeo en defensa de Raimundo Lulio

«Illme. et Rme. Dne. In primis testificor coram Deo et hac Illma. Congregatione me non animo contendendi nec aliquem injuria afficiendi, sed puro veritatis amore et ob Dei servitium et Sctae. Sedis Apostolicae ac ob publicam utilitatem, hanc defensionem Raymundi suscepisse, in qua si quid inter dicendum aut scribendum lapsu fortassis linguae aut calami exciderit quod purgatissimas Illmorum. Dominorum aures possit vel tantillum offendere, id potius ignorantiae aut simplicitati quam malitiae tribui supplico, et meipsum meaque omnia, correctioni Sctae. Matris Ecclesiae et sacrae hujus congregationis semper submissa esse volo, prout humiliter et devote submitto tanquam fidelis et catholicus christianus..... Quia praevia protestatione quae in omni actu et verbo pro repetita habeatur, et fretus auxilio Dei ac benignitate Illmorum. Dominorum, duo principaliter, ad finem intentum facilius consequendi, breviter pertingam. Utrum circa modum procedendi tam de jure quam de facto in quaestione occurrenti: «Utrum doctrina Raymundi fuerit unquam re vera a Sede Apostolica damnata. Alterum vero de praecipuis rationibus et fundamentis quae pro astruenda negativa deduci possunt. Quantum ad primum exploratissimum quod si secundum omnes

regulas juris agendum esset, pars illa quae asserit doctrinam R. olim a Gregorio XI damnatam fuisse et propterea hodie in novo judicio apponendam esse: deberet in primis et ante omnia deducere authenticam et fide dignam damnationem istam quam allegat, et hoc tribus potissimum de causis. 1.ª quia sumus in quesitione facti non autem juris..... unde ei incumbendum onus probandi qui asserit aliquid factum, non autem ei qui negat, et ratio est quia facta non presumuntur nisi probentur..... 2.ª quia sumus in genere prohibitorum quo casu ille qui objicit aliquid mali aut illiciti ab aliis gestum, debet illud probare ad nos..... et ratio est quia nemo praesumitur malus nisi probetur..... 3.ª causa est quia quando quis allegat aliquid factum pro fundamento alicujus alterius particularis effectus quem inde contendit, ut est in hoc casu, in quo R. P. Magister Sacri Palatii allegat pretensam damnationem Gregorii ad effectum ut R. ponatur in novo Indice, tunc ille tenetur probare fundamentum suae intentionis.....

»Et ad hoc existimo quod e contrario non possit responderi nisi uno de duobus modis: 1.º quod Illmi. Dni. mei non tenent servare regulas juris et ad hoç non habeo quid replicem nisi quod dicitur in lege digna non contrariae legi; 2.º posset forte responderi..... quod etiam de jure: quando quis est in possessione alicujus facti non tenet illud probare, et R. P. Magister Sacri Palatii pretendit se esse in possessione prohibitionis doctrinae Raymundi, et consequenter non teneri ad aliquid probandum, etiam secundum juris regulas. Verumtamen ista responsio non subsistit, quia ultimus status est semper inspiciendus, et secundum ultimum statutum R. P. Magister non est in tali possessione. Esto enim quod tempore felicis memoriae Pauli Papae IV, propter Indicem tunc publicatum in quo aderat Raymundus, potuisset forte pretendere talis possessionis seu quasi prohibitionis: ea tamen cessavit post publicationem Concil. Tridentini cujus decreto dictus inde Pauli IV fuit reformatus et potius ipsa doctrina Raymundi per editionem ultimi indicis in quo Raymundus non reperitur, fuit constituta in possessione non prohibitionis, in qua sine dubio deberet manteneri. Nec potest pretendi e contr. praemissa possessio ex nova impressione *Directorii*, quoniam cum dictus liber sit opus auctoris particularis neque habeat ex se plus auctoritatis quam quilibet alius liber a quocumque Catholico auctore compositus et de licentia Superiorum impressus, non debet haberi in consideratione quoad inducendum novum statum prohibitionis. Sed ponamus, Illmi. Dni. mei, omissis apicibus juris, velint in hoc negocio magis de facto, rationabiliter tamen, quam de rigorae juris procedere. Optima quidem ratione suadetur ut in primis deliberent circa novum judicem quem prae manibus habent, utrum ex anterioribus sequi velint vel Indicem Pauli IV vel Indicem Pii IV, et videtur quod licet par fuerit utriusque auctoritas, posterior debet praevalere..... praesertim cum illa ultima deliberatio facta a Rmis. Deputatis Sacri Concilii ut Raymundus non poneretur inter prohibitos, fuerit facta cum matura deliberatione et causae cognitione, ut dicitur constare inter acta secreta Concil. Trident. die prima Sept. 1563 et ad majorem abundantiam bonum esset ut Illmi. Dni. mei mandarent perquiri dicta acta quibus visis possent absque alia disputatione resolvere sane partem, videlicet quod Ray. pro nunc non ponatur in Indice noviter publicando sed manteneatur in statu non prohibitionis, in quo remansit per Indicem Pii IV et decreto DD. Deputatorum a Sacro Concilio, et

ita procedi humiliter supplico. Transeo nunc ad alterum punctum ex duobus per me a principio propositis de praecipuis fundamentis quae habeo ad probandam negativam prohibitionis, et quia hoc fieri nequit absque aliqua nota auctoris *Directorii*, libenter hanc partem totam silentio praetermisissem, nisi me cogeret auctoritas et imperium Dominorum, quorum jussis ut aliqua saltem ex parte in isto primo ingressu satisfaciam, aliqua fundamenta hujus partis recensebo, salva semper pace et reverentia R. P. F. Nicolai Aymerici et ejus fautorum, tanquam patribus et Dominis meis, quantum veritas ipsa patietur deferre, teneor et cupio. Tres mihi opponuntur Bullae Gregorii XI: prima data apud Pontem. Sorgiae nonis Junii anno 2.º, quae incipit *Nuper dilecto*, et dicitur extracta ex 2.º volumine registrorum Greg. XI anni 2.º, fol. 131. 2.ª data apud Villam Novam tertio Kalendas Octobris, anno 4.º, quae incipit *Ad audientiam* et dicitur extracta ex registro anni 4.º ejusdem Gregorii, fol. 201. 3.ª vero data Avinione octavo Kal. Febr., anno 6.º, quae incipit *Conservationi puritatis*, et ista non dicitur unde sit extracta neque ubi aut a quo sub coelo fuerit unquam visa in forma authentica, quare nec meret Bullae nomen sed tantum simplicis cartafolii. Ex tribus igitur praemissis Bullis, duas priores admitto cum omni reverentia tanquam a Smo. Rom. Pont. emanatas, et eodem prorsus modo admitterem tertiam quantuncumque lederet partem meam, si de eo aliquo modo authentico constaret aut unquam constitisset, sed re vera nunquam reperta fuit nisi in simplici copia inter scripta Aymerici, et deinde cum dictis scriptis excussa, ut dicitur, Barchinone per Reverendos PP. Dominicanos anno 1503. Et ista tertia est sola quae ad rem pertineat, nam duae priores licet faciant mentionem de libris R. nihil disponunt nec decernunt, sed sunt simpliciter commissariae, ut ex earum tenore facile apparet, et potius faciunt in favorem hujus partis ut ex pluribus argumentis, si opus erit, demonstrabo, quae nunc brevitatis causa pratermitto. Reducitur itaque tota difficultas ad tertiam pretensam Bullam, et ad hanc sit prima responsio quod non est authentica nec meret nomen Bullae, quia caret omnibus et singulis circunstantis requisitis ad probandam auctoritatem *extravagantium*, quas collegit Reverendus P. D. Franciscus Pegna in sua disputatione de auctoritate extravagantium in 2.ª parte sub tit. *Quomodo probetur extravagantium auctoritas*. Unde non possum non mirari quod hujusmodi Bullam, cui omnia requisita ab eomet prescripta deficiebant, retulerit inter alias litteras apostolicas officio Smae. Inquisitionis concessas, de quarum robore et auctoritate a nemine dubitabatur. 2.ª responsio sit quod centum annis et amplius antequam prima vice imprimeretur directorium, vivente adhuc Eymerico, 20 pene annis post obitum Greg. XI, adfuit rumor in partibus Cathaloniae de copia dictae pretensae Bullae posita ab Eymerico inter sua scripta, et cum primum id pervenit ad notitiam consanguineorum et amicorum R. Lulli, habuerunt recursum Avinione ubi tunc manebat Sedes Apostolica, et obtinuerunt conmiti causam pretensae surreptionis contra dictum Nicolaum Eymericum, quae dicitur fuisse conmissa bonae memoriae Leonardo tituli Sti. Sixti presbyt. Cardinali, coram quo postquam ad aliquos actus cifra tamen causae conclusione fuerat processum. Tandem Domini anno 1395 producta copia dictae pretensae Bullae, fuit petitum et obtentum ut investigarentur registra Gregorii Papae XI ad efectum collationandi et transsumptandi dictam Bullam,

quae fuerunt de mandato apostolico perquisita, et fuit facta fides a tribus registrorum custobibus qualiter talis Bulla non aderat. 3.ª responsio est quod postea, de anno 1419 cum de novo suscitaretur rumor contra doctrinam Raymundi, occasione eorundem scriptorum Eymerici, dicitur novo etiam pro parte consanguineorum dicti Ray. fuit recursum ad bonae memoriae Card. Alamannum tituli S. Eusebii Sedis Apostolicae Legatum in Regnis Aragonum, Valentiae, Navarae et Maioricarum..... surreptionis ac falsitatis dictae Bullae Bernardo Episcopo civitatis Castelli, a quo tandem causa cognita et servatis servandis fuit lata sententia auctoritate apostolica anno 2.° felicis memoriae Martini V, revocatoria attentatorum contra dictam doctrinam vigore dictae Bullae et ipsam doctrinam catholicam in pristinum statum reducentem..... 4.ª responsio est cum iterum ocassione eorundem scriptorum Aymerici fuisset positus Raymundus tempore felicis memoriae Pauli IV in Indice prohibitorum tunc confecto, etiam consanguinei dicti R. ex Regno Cathaloniae recurrerunt ad Sacrum Concilium; et visis et examinatis praedictis decreverunt ut de dicto Indice tolleretur, prout effectum fuit, et hujusmodi decretum, ut dixi, reperietur inter acta decreta dicti Concilii die primum Sept. 1563.

»In cujus veritatis confirmationem, prater supradicta, adsunt multae conjecturae contra eandem pretensam Bullam, quas nunc brevitatis causa non refero sed referam si opus est, quia sunt magni momenti: modo enim meum institutum in hac 1.ª informatione non fuit omnia unico contextu recensere, sed Illmis. Dnis. meis in primis obedire.

»Sed ne forte mihi objiciatur illud dictum antiquum: bene *loquitur, si probaret*, dico quod ex omnibus istis quae praeposui et pluribus aliis magni momenti ad rem facientibus, constat ex authentica in forma, et aliqua reperiuntur hodie Romae penes R. P. Commissorium S. Officii inter scripturas oblatas Doctori Dimae quando fuit carceratus, quae si Illmis. Dnis. placeret ut recognoscerentur, et ea quae non tangunt fidem et huic negotio prodesse possunt mihi restituerentur sub quacumque cautione aut conditione, valde consuleretur detectioni desideratae veritatis.—*Jo. Arceus de Herrera, Advocatus*» [1].

CAPÍTULO VI

I.—«Quodlibeto» de Pedro de Osma sobre la confesion auricular y las indulgencias [2]

